

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

**Programma Quo Rector & Senatus Universitatis Rostochiensis Societates  
Nationum Et Nationales Conventus Sub Gravi Poena Iterum Prorsus Vetant Ac  
Interdicunt**

Rostochii: Kilius, 1642

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757429157>

Druck    Freier  Zugang





*<16. Jh.>* Kl. - 157 (2.)  
Kl. - 157 (2)

- (17) 1. v. L. Raffs d. Stadt Rostock Rausch Rechtsordnung. 1587.  
Rostock (1587)
2. v. L. R. ... Revidierte u. verbesserte Rechtsordnung. 1591.
3. Revidierte u. verbesserte Gesetz u. Kindelbius Ord-  
nung ... 1591.
- (20) 4. v. L. R. ... Ordnung von Eintheilung der Actualien  
u. andern Stadten ... 1601.
5. Rector et Concil. Acad. Rost. civibus ead. ... salutem ...  
Rostochii 1656, 4. Jul.
6. Consules et Sen. R.R. scholae suae rectori, magistris  
... s. [Leges scholae] (1583).
7. v. L. R. ... Rev. Rindtauffe u. Kindelbius Ordnung ... 1605.
8. Universit. vorher geplatt tho dieps 1615 q. 1616 Jafre ...  
eingewilligter Gallo Gindelbius Pfennig entrichtet ... in jolle.
- (25) 9. Rayns Rudolphi der andern etc tho Universität zu Rostock  
i. erhaltener Recht v. Datum-Brief ... R. 1657.
10. v. L. R. ... Rev. Verbotung Geyser, Rindtauffe, Ew-  
graben u. Fass Ordnungen, R. 1617.
11. v. L. R. ... Rau. Ordnung von Raffgasse u. Raffgassen  
... publ. 1. 20 Apr. A. 1618. R. 1629.
12. v. L. R. ... Reportung ... R. 1624.
- (29) 13. v. L. R. ... Rau. Verbotung Geyser, Rindelbius u. Ali-  
der Ordnung. (R.) 1625.
- (30) 14. Universit. oder Oberhoheit, vorher geplatt tho dieps  
1627. Jafre ... eingewilligter Gindelbius Pfennig ... solle  
verstehen sich ... 1627.



(31)

15. Progessus Ferdinandi de' Medici etc. auf ausmaßiges aufsehen  
Rectoris et Concilii U. z. R. an Bürgermeister u. Rat der Republik  
abgegangene Citatio ... (R. 1639.)
16. ... Briefe der lobl. Universität in Rostock wegen Abstafung  
... der Floridus u. Pennalismi ... In Predigt Grafe warf.  
u. in Druck gegeb. v. Prof. Joach. Schröderum. R. 1641.
17. Programma quo Rect. et Sen. Univ. Rost. societates nationum  
... vetans et interdicunt. R. 1642.
18. Rect. et Concilium ... aed. juventuti .. salutem omnigenam.  
Rost. 1656. (Vertot des Regentenrathes)
19. Rev. Ordnung ff. R. ... Vorauf folgende Jugter u. Proprium  
... bis zu einem Jahr zu fallen. (R. 1655.)
20. ff. R. ... Amtseins-Brief, wann es mit Bezahlung der Fage u.  
Kaufmäye gefallen werden sollt. R. 1659.
21. Introductio Consistorii Rostoch. ... Anno 1669. (Mss.)
22. Rev. Ordnung ... welche die erordneten Judiciorum Bürger j. R.  
wann sie von ff. R. gefordert werden, in derselben Kaufmäye  
gew. u. Votiva se fassen, bewilligt? eingenommen. R. (1670.)
23. Desp. i. J. 1748.
24. ff. R. ... Fest-Ordnung, A. 1678. R. s. q.
25. ff. R. ... Verordnung, wann es ... mit den Jugtern die  
gefunden gefallten werden sollt. R. 1684.
26. Wer auf der Univ. Rostock angelegte Wittow-Käppen ...  
habt einen Discours Alb. Joach. v. Piranitz ... Rost. (1707).
27. Reglement, wann die vi. Compagnie - Verwandten der ... Leden.  
Hauff bei der mit meistern Societat u. Rathen. Ordnung j. R.  
verglichen ... R. 1718.
- 27<sup>a</sup> Desp. R. 1746.
28. Puncta der neuen Groote Indemnizations-Compagnie ...  
R. (1722.)
29. ff. R. ... Verordnung, wann es j. Waggonwinge mit j. g. 4.  
Außbringung fremder Käppen ... gefallen werden sollt. R. 1729.
30. Master Abdrücke darum von ... Karl d. Tauffha allgemeindopp  
behaftigten Privilegien der Stadt Rostock. A. 1733.







17

PROGRAMMA

QVO

RECTOR &  
SENATUS

Universitatis Rostochiensis


SOCIETAT-  
TES NATIONUM

ET NATIONALES CON-  
VENTUS SUB GRAVI POENA ITE.  
RUM PRORSUS VETANT AC  
INTERDICUNT.



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.  
ANNO M. DC. XXXXII.



Um pluribus modis Magistratus participem se facere potest alienorum delictorum, tum frequenter admodum id contingit, si ex socordi quadam negligentiâ civibus ferocioribus habens obedientiæ laxat, languidiori manu crimina vix tangit, aut ad illa penitus tacendo connivet. Si enim nihil tam Magistrati proprium est, quam

*Parcere subjectis, & debellare superbos;*  
præmiorum exhortatione bonos efficere ac in officio retinere, pœnarum vero terrore & irrogatione malos coercere; certè ordinem officii sui & velut orbitam deserit ille, qui regendis aliis præfectus ad vim & contumaciam improborum silet, illisq; jugi oscitantiâ parcendo aciem autoritatis suæ, quâ omnis viget potestas, hebescere sinit, ac imperiū velut gladium in vagina reconditū otiosē tenet. Imò verò si ministrum se Dei, prout in sacro codice nuncupatur, ad vindictam improbitatis

tatis gerere debet, non potest non gravissimam ejus incurrere iram, si quæ ipsi sunt adversa patitur, & odium potius ac indignationem hominum, quam illius exandescientiam & ultiōrem æternam veretur. Cum igitur graviter adversus scelera & improbitatem irascendi ejusq; cursum & impetum cohēdi necessitas summa Magistratui sit imposta, nemo vestrūm, Studiosi juvenes, quos hoc scripto imprimis compellamus, sentit, quām non sit nobis ad incredibilem plerorumq; vestrūm & inhumanam penitus improbitatēm rācendum ac quiescendum. Meministis enim (nec ignorantiam ullam ejus, quod non solum nos in vobis extremē detestati sumus, sed totus orbis Christianus ejusq; Principes incliti cū horrore quodam execrantur) multoties & publicis orationibus, & affixis programmatibus vobis paternē inculcatum & serio præceptū esse, ut quo fine ad nos essetis missi, ad illū omnia piā quadam honestate, modestia & sobrietate referretis, abstineretis à symposiis & helluationibus cum ~~arōnīa~~ conjunctis, nec improbos diligenteris cætus, nec eos foveretis, imprimis vero Schoristicos ludos ac dirissimas exagitationes juniorum, quibus Illusor ille D E I ac hominum Diabolus vestrūm fædissimē

dissimile deformati ordinem, vitaretis; & Nationum societatis, quae praecedentis ~~naufragiorum~~  
fulcra sunt & lomenta, nomina neutiquam  
daretis vestras; si vero ex falso quodam stulto-  
vem eti, aut inconsulta ac juvenili levitate id  
factum fuisset, nunc mitteretis, & impo-  
sterum velut improbissimum scurrarum,  
nelliouorum, & nummivrorum vulturum con-  
ciliabula autore Satanâ contra Academiam  
velut Pietatis officinam, honestatis Scholam,  
Sobrietatis, justitiae & Charitatis Magistrum  
instituta, & tumidâ præfractaque pertinacia  
conservata detestaremini, ae velut Erebi no-  
ctem profundam fugeretis. Quid vero juvit  
toties eadem prohibuisse & interdixisse nos,  
cum dictis audientes vos non fuisse tot edita  
subinde testentur solennium (si Diis placet)  
conventuum & comedationum exempla?  
quid retulit tam fideliter monuisse, & impro-  
bos cohortalium istorum mores quotidie  
quasi cantasse & non nunquam punivisse, cum  
surdas vos præbueritis aures, & illorum poti-  
us perniciissimorum Ducum seductioni, quam  
Saluberrimo ductui nostro morem gerere  
volueritis? quid tandem toties nitendo ob-  
tinuimus, cum vos perpetuo adhuc ex caca-  
quadam petulantia elata velut manu obnita-  
mini

mini & repugnetis? Mirum nī convulsis velut  
orbibus suis ad tantam vestram contumaci-  
am convolvatur Cælum, Sol expallescet, Lu-  
na rubore sanguineo suffundatur, & tellus  
contremiscat. Quid est, si hæc non est gigan-  
tæ quædam audacia, quâ molem perversita-  
tis & stultitiæ vestræ congerendo supralegiti-  
mum Magistratum attollitis capita, eundem  
sanis post tergum factis ludificamini, & ve-  
stras tam furiosè amplectimini cupiditates,  
ut adversus illas nec paterna lenitas monito-  
rum, nec stricta severitas edictorum, nec mi-  
narum, quas verbi divini præcones mittunt,  
fulmina quicquam valeant: dicant parum,  
dicant multum, moneant suo modo, imò et-  
iam objurgent, vos vestro tamen genio indul-  
geatis, vestro modo ac more scilicet illauda-  
torum majorum pergræcemini ac insaniatis.  
Dolendum sanè stuporem illorum, qui tech-  
nis & fraudibus Satanæ omnis ~~anxiæ~~ & Inobe-  
dientiæ autoris se hac in re circumveniri non  
sentiunt, ac dum Magistratus edicta susq;  
deq; habent, ea caperatâ fronte ac vultuoso  
supercilio suggillant & contemnunt, ordina-  
tioni divinæ se resistere, viamq; ad infelicitati-  
tem vitæ perpetuam imò ad gehennā sterne-  
re non animadvertisunt! Ad tantam verò tam

A 3

obstina-

obstinatam & stupendā improbitatē nec nostrum, ni similes vestri evasisse & corruptelam hanc Academiæ hujus pessimam probare videri volumus, nec cuiusquam, qui pro salu te vestra excubat, est quiescere & connivere, his præsertim temporibus, quibus elanguente disciplina Pietas & verecundia caput demitte, animam agere, & suo interitu Ecclesiæ & Reip. Christianæ ruinam minari videntur. Quapropter hoc Programmate Edita nostra priora contra istiusmodi proterviam ac petulantiam ante hac edita & promulgata secundū omnes suas clausulas & puncta repetimus & renovamus, severissimè etiam atq; etiam volentes ac jubentes, ut singuli societates Nationum actutum missas faciatis ac penitus dirimatis: Conventus nationales nec indicatis nec celebretis: à commessionibus & exagitationibus juniorum innocentium prorsus abstineatis, ac potius ita mores & vitam vestram ad probitatem & modestiam tandem componatis, ut nec talium societatum, nec ullorū onerum ac injuriarū, quibus juniores premere & affigere soliti estis, vel nomen saltem audiatur: Seniores & Fiscales non nomina saltem sua (ut callidè nunc ad obtegendarum malitiam suam & latebras perjurio

jurio quærendas faciunt) deponant, sed rem  
ipsam illicitam, flagitio & factione plenam,  
quâ munia Magistratus in se convertunt, ac tri-  
buta edicendo, variaq; imperando & impo-  
nendo in se transuerunt, aliorum loculos tur-  
piter exinanijunt, ad varia servitia homines in-  
genuos & liberos compellunt, pennalisticas  
actiones torturas & scurrilitates nefandas fo-  
vent & stabiliunt, penitus nunc deserant,  
ac tandem conscientiam suam crimine periu-  
rii & inobedientiæ illigatam & constrictam  
liberent & solvant. Quod ut eò facilius nunc  
demum à vobis impetremus, nec severiori ac  
ignominiosa opus sit animadversione, cum  
Reverendis Ecclesiæ Ministris hujus Civitatis  
egimus, ut contra contemptores Magistratus  
& Legum Academicarum acriùs disciplinam  
stringerent Ecclesiasticam, ac non publicis so-  
lūm concionibus eos sedulò objurgarent, vé-  
rūm etiam pertinaces & immorigeros velut  
nulla verâ scelerum pænitentia tactos nec à  
peccatis, (utpote cum eorum maximum Ino-  
bedientiam crimi Magiæ similem deserti i  
non sint) absolverent, nec ad usum S.S. Eu-  
charistiae admitterent, sed canum ac porco-  
rum instar sacrum illum thesaurum suæ fidei  
& dispensationi concreditum iis denegarent.

Hoc

Hoc cùm illi nunc sponte sua piè ac laudabili-  
liter in se receperint, ac sine discrimine & re-  
spectu constanter exequi decreverint, nulli  
dubitamus fore, ut tandem stupidí errones  
in viam redeant, & furore isto malitiæ ac ino-  
bedientiæ hactenus nimium dementari resi-  
piscant. Id quòd cùm ipsis serio vovemus,  
tum nihil magis, quàm ipsorum Salutem ter-  
renam ac æternam hac tam frequenti paterna  
& seria admonitione intendimus ac promo-  
vere allaboramus, deq; illis, in quibus adhuc  
aliquid residet pietatis & guttula honesti san-  
guinis, emendationem certissimam nobis  
pollicemur. Cæteri verò, qui nihilominus ri-  
gidam obfirmabunt cervicem, sciant adver-  
sus sese tanquam pestes Academiæ, perjuros  
& insanabiles pœnas Academicas antehac sæ-  
pius decretas & repetitas, etiamsi nihil præ-  
rea sceleris (utpote cùm mandato legitimi  
magistratus reluctari satis per se sit atrox & ne-  
fandum) perpetrarint, saltēm quòd societati-  
bus nomina sua dederint, iisq; porro ad hære-  
ant & intersint, Seniorum & Fiscalium mune-  
ra obire non desistant, executioni certissimæ  
mandatum iri. Qui credit, sapit: incre-  
duli serò nimis, ubi jam sunt fugati, Epime-  
thei Phrygumq; sortem experientur. P.P. Sub  
Sigillo Academiæ Rost. 13. Nov. Anno 1642.





17 Apr. 1954


18 Feb. 1956

14 Nov. 1957

4.1.62

29 Nov.





& stupendā improbitatē nec nō  
niles vestri evasisse & corruptelam  
emiæ hujus pessimam probare vi-  
us, nec cujusquam, qui pro salu-  
cubat, est quiescere & connivere,  
in temporibus, quibus elanguen-  
a Pietas & verecundia caput de-  
imam agere, & suo interitu Eccle-  
Christianæ am minari vi-  
lapropter h mmate Edi-  
riora co protervi-  
antian amul-  
lū o ta  
& es & vi-  
destiam.  
mpum societa-  
lorū onariarū, quibus  
emere & a soliti estis, vel  
em audiatur. seniores & Fiscales  
a saltem sua (ut callidè nunc ad  
n malitiam suam & latebras per-  
jurio